

FRANCISCI I. IMPERATORIS AUSTRIAEC & REGIS HUNGARIAE DECRETUM  
QUINTUM ANNI 1807.

*Flumen Civitas, Portusque inarticulatur, Gubernatori autem Fluminensi in Tabula Procerum, Ablegatis vero Civitatis Fluminensis in Tabula SS. et OO. Sessio et Votum tribuitur.*

Articulus 4.

Sua Majestate Sacratissima ne diutius ardentia vota Statuum et Ordinum Regni moretur, annuente, Civitas Fluminensis, portusque per Augustissimam Imperatricem et Reginam Mariam Theresiam peculiari Diplomate jam Regno incorporata, praesenti Articulo ad idem Regnum pertinere declaratur. Una vero

§. 1. Gubernatori Fluminensi sub Comitiis Regni in Tabula Procerum, Ablegatis autem Civitatis Fluminensis in Tabula SS. et OO. competens Sessio et Votum tribuetur.

*De Conservatione Sylvarum.*

Articulus 21.

Ut Sylvarum devastatio, seu illa ex causa dilapidationis, sive quod possessorium ambiguae liti, aut metali controversiae subiectum sit, sive denique ob composessorium irregulatum eveniat, ad mentem Articuli 57. An. 179<sup>1</sup>/<sub>2</sub>. efficacius praepediri possit, circa Sequestrum Devastatoribus imponendum, annuente Sua Majestate Sacratissima, sequentia adhuc statuta sunt:

§. 8. Sequestrum eousque durabit, donec desolationis causa cessante, auctoritate Magistratali sublatum non fuerit, aut in casu inducenda proportionis, Processus eatenus motus terminabitur.

§. 11. Actor mox ac litem movere intendit; dimensionem actionalis Sylvae instituat, mappamque ad communes Compossessoratus sumptus conficiendam in primordiis Processus exhibere conetur. Ne autem hujus confectio facto Compossessorum retardetur, omnis praemisso scopo, praevie in Generali Comitatus Congregatione declarando, instituenda Dimensionis et Mappationis turbatio sub poena violentiae toties, quoties Actoratu partis laesae desumenda prohibetur et ne interea etiam, donec lis ad desumptionem poena definita fuerit, cursus causae adhaereat ac ut dimensio in effectum perduci possit, in casu continuandae renitentiae, Jurisdicciona erga recursum Actoris ad expensas renitentis sufficientem assistantiam ordinabit.